



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Reginonis Abbatis Prumiensis Libri Duo De Ecclesiasticis Disciplinis & religione Christiana**

**Regino <Prumiensis>**

**Parisiis, 1671**

210. De eadem re.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14622**

De eadem re. *Ex eodem.*

CCVII. Quidam fornicatus est cum ali-  
qua muliere. Postea filius, nesciens patris fa-  
ctum, stupravit eandem. Quod cum pater res-  
cisset, de se filioque confessus est. Statuerunt  
melius esse ut taliter lapsis cum digna pœni-  
tencia legitima permittantur conjugia quam  
fortè deterius delinquant; cum fornicaria au-  
tem illa gravius agendum.

Concil. Tri-  
bur. c. 43.  
Burchard. lib.  
17. c. 16.

De eadem re. *Ex eodem.*

CCVIII. Si quis cum duabus sororibus  
fornicatus fuerit, & soror sororem ab eodem  
antea stupratam nescierit, vel si ipse sororem  
ejus quam antea stupravit non intellexerit, si  
dignè pœniterint, & se continere non value-  
rint, post annos septem conjugia illis non ne-  
gentur. Si autem non ignoraverunt, usque ad  
mortem à conjugio abstineant.

Concil. Tri-  
bur. c. 45.  
Burchard. lib.  
17. c. 5.

De eadem re. *Ex eodem.*

CCIX. Si quis cum duabus sororibus  
fornicatus fuerit, vir diebus vitæ suæ pœni-  
teat. Soror autem quæ de alia sorore nescivit,  
licentiam habeat nubendi.

Burchard. lib.  
17. c. 6.

De eadem re. *Ex eodem.*

CCX. Si homo fornicatus fuerit cum mu-  
liere, & frater ejus nesciens duxerit eam uxore  
rem; frater, eò quòd fratri crimen celaverit,  
pœniteat, & post pœnitentiam nubat. Mulier  
autem usque ad mortem pœniteat. [*Vide lib.*  
7. *Capitular. cap. 296.*]

Concil. Tri-  
bur. c. 44.  
Burchard. lib.  
17. c. 13.